



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

3.  
2.  
CARMEN NUPTIALE  
ORNATISSIMO IV  
VENI, D. DANIELI ZIM-  
MERMANNNO, DIACONO WORLL  
censi: & pudicæ virgini MARGARETÆ,  
reuerendi & clarissimi viri, Domini Dio-  
nysij Brunsdorpij, Ecclesie Worli-  
censis Præpositi, filia,  
scriptum

à

VVOLFGANGO SLEIFERO  
Ceruestensi.



WITEBERGÆ

ANNO DOMINI M. DLXV.

3  
CAR MEN NVPTIALE  
OR M ATISSIMO  
FENTIA DNNIEL NIM  
MERRANO D NACON O W O R D  
MAYE S PAIN N GRI N T A R T A R I A  
MAYE S PAIN N GRI N T A R T A R I A  
MAYE S PAIN N GRI N T A R T A R I A  
MAYE S PAIN N GRI N T A R T A R I A  
MAYE S PAIN N GRI N T A R T A R I A  
MAYE S PAIN N GRI N T A R T A R I A

WILHELMUS STEFFER  
L. STEFFER

WILHELMUS STEFFER  
L. STEFFER



## CARMEN NUPTIALE

Solus in immenso, reliquis de gentibus, orbe  
Reſtoris ſuperum chorus eſt, qui dogma tuetur  
Saluificum, quod habent vatum monumenta priorum  
Inconuulſa, quibus triplici ſub numine numen  
Incolitur ſimplex, æterni & nomina Patris  
Conduntur, ſimilis Nati, Flatusq; ſacrati:  
Excellensq; DEI virtus & amica voluntas,  
Qua genus humanum placidè curatq; fouetq;  
Et rebus, clarisq; liquet patefacta figuris.  
Talis & in vita reſplendet imago iugali,  
Quam numen, veluti perhibetur dogmate eodem,  
Quandoquidem caſtum eſt, homines vult lege tueri  
Perpetua. Quare ſocij quoq; fœdera lecti  
Huic ordo ſacer eſt, & habet tutamen ab ipſo:  
Quin illi potius ſtatuendi hunc maxima cura  
In primis fuit, & mundi tutantibus ipſum  
Donat opes, patrij certiffima ſigna fauoris.  
Namq; ſtatim, prima quando ſub origine mundi  
Per λόγος æternam prolem, ſine ſemine rerum,  
Formaſſet cælum, fines poſuiſſet & orbi  
Terrarum, pelagusq; cauæ incluſiſſet arenæ,  
Ornamenta polo rutilantia ſidera ponens,  
Dulciſonis vacuam decoransq; volucris auram,  
Arboribus plantansq; hilares viridantibus hortos,  
Floribus & miſcens ſuaues & gramini odores,  
In quibus errarent pecudes cicuræq; feræq;  
Iucundamq; agerent animalia cætera vitam,

Et varijs implens immensum piscibus æquor.  
Cumq̄ ita nobilibus constarent omnia rebus:  
Consilium æternæ sapiens, fuit, edere mentis,  
Et sibi consimilem virtute parare figuram,  
Decretum, sumtaq̄ hominem tellure creavit,  
Sacratōq̄ loco, quo nil magis orbis amœnum  
Continuit, postquam diæ spiracula vitæ  
Indiderat, tribuens animis amplissima dona,  
Intulit, & nemoris sancti, totius & orbis,  
Tradidit imperium: quin vt manifestet amorem  
Plenius ardentem, sopore rigavit Adami  
Humidiore artus, costamq̄ è pectore ademit  
Carne locum replens, extruxit & inde maritam,  
Pronubus & flammam utriusq̄ in pectora inhalans:  
Tradidit excito propriam dulcemq̄ sodalem,  
Precipiens sociamq̄ fidem nexumq̄ pereunem,  
Coniunctisq̄ infit: duo posthac carne sub vna  
Corpora producant sobolem, repleatur vt orbis.  
Sic DEVS à reliquis casti per vincula lecti  
Distinxit brutis homines, semperq̄ propagat,  
Vt letetur in his, & in his sua gaudia captet.  
Hunc quicumq̄ statum, diuinamq̄ iura, tuetur,  
Se sciat auctori, superum Regiq̄ potenti,  
Rem longè gratam præstare, sibiq̄ futurum  
Auxilium in quouis præsens discrimine vitæ.  
Totius, &, siquidem fidum sibi deligit inde  
Perpetuò semen, quod se celebraret, & omnis  
Læticiæ socium cœlesti sisteret aula:  
Ipsius obsequium præbentes legibus, atq̄

Mente

Mente pia veraq̄ **DEVM** ratione colentes,  
 Qui **CHRISTI** meritis nituntur, & huius amore  
 Se statuunt recipi, regno potentur Olympi.  
 At contra illicitis pollutos pectora flammis,  
 Et quò cæca rapit sine lege libido, vagantes  
 Instar brutorum, spretus quibus ordo iugalis  
 Castaq̄ iura thori cœlesti mente profecta  
 Pœna manet vitæ præsentis, pœna futuræ.  
 Temporibus qualis non defuit omnibus, iræ  
 Exemplum autoris contra vetitos Hymenæos.  
 Sic Helenam Priamo sociatam iure iugali  
 Vi rapiens Troiam considerare fecit in ignes:  
 Casta pudicitie sic te Lucretia, iura  
 Tarquinius cogens violare, alijq̄ Quiritum  
 Expulsi Reges soluunt cum sanguine pœnas.  
 Historijsq̄ patent æqualia plurima sacris.  
 Cernimus, vt tantus superum Rex surgat in iras,  
 Illecebras Veneris vetitumq̄ cubile perosus,  
 Prorsus vt humanum genus extirpare minetur  
 Diluuiò, certè totum mersisset & orbem,  
 Ni castis tantum octo hominum clementia, votis  
 Conciliata, **DEI** pœnas moderata fuisset.  
 Vertit & in cineres Sodomitica regna libido,  
 Totaq̄ Beniamidum scelere est stirps eruta eodem.  
 Haud secus Isaias pœnas dat criminis huius  
 Atroces, sociam lecti vt rapuisset **Vriæ**,  
 Nec nostro desunt exempla æqualia seculo.  
 Omnia quæ referunt, castissima numina castos,  
 Quos semel instituit, semper tutari Hymenæos,

Et certas licito metas præscribere amori.  
Hunc igitur, pie sponse, statum qui diligis vltro  
Ingrediens vitam cœlesti voce probatam,  
Læticijs DANIEL & tecum sponsa pudica  
MARGARETA, DEVS socio quos iungit amore,  
Incedatis, & auctori præconia laudum  
Digna pijs animis, & grato corde feratis,  
Patria qui vobis tantarum munera rerum  
Donat habere, sacro nectit dum fœdere lecti.  
Nam, siquidem CHRISTVM referunt cum gente pio-  
Vincula connubij, quam sponsus legit in orbe (rum  
Filius ipse DEI, quamuis haud labis inanem,  
Hanc tamen ipse lauat, sacriq; aspergine fontis  
Mundat, & ornatum rutilante monilibus auro  
Et gemmis pictum primis sponsalibus arram  
Largitur, Flatusq; sacri perfundit amore  
Perpetuo sociam regno inuecturus Olympi:  
Ne quaeso dubitate eadem vos dona manere.  
Interea dum, sponse, datur consorte potiri  
Optata, quæ sola DEO tribuente benigno  
Immensum est super orbe bonum, da numini honorem  
Propicio, meritas & ouanti pectore grates  
Dic hilaris: Tibi, verè etenim, quæ contigit vxor  
Margaris & virtute refert & nomine concham  
Æquoream, quæ ceu sitiens ex æthere rorem  
Haurit & in crusta gemmam parit inde nitentem,  
Vnio quæ fertur quòd concha innascitur vna  
Vnicus, hic virtute animis tabentibus addit  
Auxilium, morbumq; aufert, & pectora firmat:

Sic



Sic tua sponsa pijs clarisq; parentibus orta:  
Præpositus sacris pater est, qui numina verbi  
Cœlestis curat, sublimis origine mater:  
Ingenium cuius taceo, dotesq; relinquo  
Corporis egregias florentis, & altera dona  
Ipsa quibus præstat, quas Pallas et addidit artes:  
Aure DEI verbum cupida quoq; plenius hausit,  
Vnde velut gemmam condit pulcerrima dona  
Pectoris in scrinio, factisq; nitentibus edit  
Obsequiumq; patri præbens matriq; probatum,  
Mœroremq; pio releuans solamine iisdem.  
Margaris hæc sociante DEO tibi contigit v  
Curarum atq; omnis medicina futura laboris.  
Hæc adama, sociasq; fide huic constanter adhære,  
In qua delecteris & in qua gaudia captes,  
Vt sobolem educas numerosam, atq; agmina CHRISTI  
Amplificare iuues, rectè & tua munia præstes:  
Dumq; tibi curas consors tua sedula demet  
Ipsa domus tecum seruanda pondera gestans,  
Sic melius poteris diuini dogmata verbi  
Assidua populum cum sedulitate docere  
Plenius expediens commissa negocia CHRISTI,  
Multaq; de externis adducens agmina cœlo.  
Quin & sponsa tuum Daniele corde fideli  
Dilige, mandatoq; eius reuerenter obedi,  
Nam caput ille tuum est, dominus, sociusq; perennis,  
Quo, dum vita manet, ne sit tibi charior alter,  
Numinis ausculta iussis. Sic, omnia cedant  
Ex voto, dulcisq; thorus, sic fertilis esto,

Floreat

.. Floreat & multos, opto, feliciter annos.  
Si qua tamen, veluti crucis haud Ecclesia CHRISTI  
Expers esse solet, vos vlla incommoda tentant,  
Præsentes animis estote, Deiq; frequenter  
Imploretis opem, connubia casta tuentes,  
Sperantesq; fidem voti finemq; laborum:  
Numinis ille status quoniam est de iure profectus,  
Donec in æternam cæli Rex sponsus & ipse  
Liberet humanum genus omne & inferat aulam.  
Sed moror, hospitibusq; tuis, sponse optime sponse,  
Et tibi cum socero molestus carmine vili  
Detineo ..... longis ambagibus aures,  
Solennisq; jam ..... melioribus abstraho rebus,  
Ergo precor, clariq; Viri, patrésq; colendi,  
Hoc animis solenne sacrum celebretis ouantes.  
Iam gratæ studium saltem cognoscite mentis,  
Sic meliora dabo, melius si doctus Apollo  
Instruet, ingeniumq; iuuabit serior ætas.  
Interea tu gnate DEI dilecte parenti  
Æterno, miseræ sponse mortalibus adsis,  
Promissaq; fide, soneas tueareq; pacem  
In terris, tua quò vigeant sanctissima iura  
Vincla pudica thori, quò gens pia crescat, & am-  
Possideat regnum cæleste, Tibiq; Patriq; (pla  
Flamine cum sancto laudes in secula dicat.

FINIS.

16. Septembris.

Nov 1996

8

ULB Halle 3  
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!


28 a / 50 1996 |

VB 17

M







CARMEN NUP TIALE  
ORNATISSIMO IV  
VENI, D. DANIELI ZIM-  
MERMANNO, DIACONO WORLL  
censi: & pudicae virgini MARGARETÆ,  
reuerendi & clarissimi viri, Domini Dio-  
nysij Brunsdorpij, Ecclesiae Worll  
censis Præpositi, filia,  
scriptum

à

VVOLFANGO SLEIFERO  
Cerneſtensi.



WITEBERGÆ  
ANNO DOMINI M. DLXV.